

Peter Eberbach¹⁾ an Vadian.

Olmütz. 1510. Juli 31.

Sehnsucht nach den Freunden in Wien. Zwei Choliamben des Philesius und Versprechen weiterer Zusendungen. Bitte um baldige Antwort und Erkundigungen nach den Freunden.

Petreius Aperbacchus Ioachimo suo carissimo S. D.

Verum esse Plautinum illud sentio: amatoris animam in alieno vivere corpore. Nam ex quo Holomuzam veni, non desino crebris suspiriis Viennenses^{a)} amicos reposcere; atque multoties animo linquor, quasi lypotymia^{b)} sim obnoxius. Verum necessitas, cuius cursus transversus^{b)} impetum voluerunt multi effugere, pauci potuerunt, quo me detrusit eundem! Dei te immortales cum tota commanipulatione Palladia fortunatos custodiant. In mentem mihi venerunt duo R. Philesii iambica, quæ Argentorati olim deduxit: alterum in Seniore Lupum, alterum in Juniore Thomam. Ea vero sunt:

Leges solent plerique nunc sacerdote . . . **S**

Vafri die noctuque versar **E**,

Patrocinant fas nefasque^{c)}; sed nome**N**

Vetamur horum clarius declarar **E**,

Sic namque criminarer æquo plus morda**X**.

Alterum:

Tales item licet videre quosdam, qu . . . **I**

Horas locant volvendo codices noct . . . **U**

Ornatiores; hisce divinum est nume . . . **N**

Magis favens, injuriam prorsus null **I**

Aut impium quoquo inferentibus pact . **O**:

Sunt hi^{d)} viam rectam sequentes ardente**R**.

Quæ eo consilio adscripsi, ne quid te lateat, quod ex sodalitia illo apud Argentoracos literario sciam emersisse. Si dei immortales domitionem meam fortunaverint, complura alia ad te dabo. Quæ ubi legeris, non minus scio delectabunt, quam ea delectaverunt, quæ non semel a nobis audivisti. Rogo te, mi suavissime Ioachime, rescribas cum hoc nuntio, qui valeas, quid agas cum Musis, quando item Pliniana a Cuspiniano enarratio exordietur. Præterea si rescivero Arbogasten nostrum secundis ventis Pannoniam profectum, exhilarabor^{e)} ut qui maxime. Quid cum Vatrachomyomachia nostra actum sit, scire cupio, ut nihil ardentius. Cuius ad me des exemplar rogo. In mandatis habet vetus hic meus contubernalis et municeps, uti pretium numeret. Belle valeas, mi iucundissime Vadiane, mel et delictum^{f)} meum, et Petreium redama. Holomuzæ raptim. Pridie Kal.^{g)} Sextil., anno MDX.

Tuus *Petreius Aperbacchus*.

Salvebis ab Hieronymo nostro, quo de nihil tibi non queas polliceri.

Ioachimo Vadiano inter elimationis literaturæ doctores classario,
amico suscipiendo.

a) ⁿVienenses^u. — b) ⁿtransverti^u. — c) ⁿphas nephasque^u. — d) ⁿhii^u. — e) ⁿexhilarabor^u. — f) ⁿdelictum^u. — g) ⁿCal.^u

f) Vrgl. zu Brief 2.